

1/2003

IDIBVS IVLIIS

MMIII

RVMOR
VARIVS
XXV
ANNOS
NATVS

RVMOR VARIVS
RVMOR VARIVS
RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS
RVMOR VARIVS
A DIVC

TOMVS 26

FASC. 147

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA HELVETICA, in ædibus, quibus nomen EDITIONS DU LAC est, editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CCC

Pretium subnotationis (annuum):

In Helvetia	CHF	27.-
In ceteris Europae terris	EUR	18.-
In terris trans maria sitis	US\$	30.-

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Dr. med. W.F. Ebel (AMICVS)

Estelle (Stella) Gitta

Barbara Maier

Martinus Meier

Daniel Weissmann

Praeses honoris causa:

Ulrich (Udalricus) Aeschlimann, lic. phil. I

Impressum et dispositionem rerum legentibus publicandarum curat: Estelle Gitta

Typographeum: Copy Quick, Saloduri

RV mittit: Christina Meier-Portner

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum

editoriam: RVMOR VARIVS,

C/o EDITIONS DU LAC

Estelle Gitta

Ch. François-Lehmann 2, 1218 Grand-Saconnex

E-mail: e.gitta@bluewin.ch

www.aeschlicity.ch/rumor_varius

Institutum pecuniarium:

UBS, Zürich-Oerlikon

U. Aeschlimann, RVMOR VARIVS, P7-642.719.0

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETAS LATINA HELVETICA, bei den EDITIONS DU LAC herausgegeben. RVMOR VARIVS est publié par la SOCIETAS LATINA HELVETICA aux EDITIONS DU LAC

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich/paraît 6 fois par an

Auflage/tirage: 300

Abonnementspreise/prix de l'abonnement (jährlich/annuel)

Schweiz/Suisse	CHF	27.-
Europa/Europe	EUR	18.-
Uebersee/outre-mer	US\$	30.-

Einzelne Probenummern sind gratis erhältlich

Des spécimens peuvent être obtenus gratuitement

Redaktionsteam/équipe rédactionnelle:

Dr. med. W.F. Ebel (AMICVS)

Estelle Gitta

Barbara Maier

Martin Meier

Daniel Weissmann

Praeses honoris causa: Ulrich Aeschlimann

Grafik und Layout/graphisme et layout:

Estelle Gitta

Druck/impression: Copy Quick, Solothurn

Expédition: Christine Meier-Portner

Verlagsadresse/adresse de la maison d'édition

RVMOR VARIVS, c/o EDITIONS DU LAC,

Estelle Gitta

Ch. François-Lehmann 2, 1218 Grand-Saconnex

E-mail: e.gitta@bluewin.ch

www.aeschlicity.ch/rumor_varius

Bankverbindung/institut bancaire:

UBS, Zürich-Oerlikon

U. Aeschlimann, RVMOR VARIVS, P7-642.719.0



PRÆFATIO

Amicae et amici nostri!

Hoc anno 2003° RUMOR VARIUS diem natalem vicesimum quintum celebrat! Anno 1978° enim pater et creator RUMORIS VARIUS, Udalricus Aeschlimann, qui tum munere praeceptoris linguae Latinae in schola nomine 'AKAD' Turici fungebatur, exemplar primum unam solam paginam continens edidit. Secundum exemplar iam ex quattuor paginis constituit, ex tertio fasciculo commentarii forma libelli editi sunt.

Primum RUMOR VARIUS in aedibus scholae nomine 'AKAD', deinde ab anno 1995° ab Udalrico ipso in eius domo, *Aeschlimann publicity* in oppido amoeno, cuius nomen 'Elgg', quod inter Vitudurum et Gallopolim (St. Gallen) situm, editus est. Ex anno 2001° autem RUMOR VARIUS a Stella Gitta in eius aedibus, quibus nomen 'Editions du lac' est, in oppido 'Grand-Saconnex' apud Genavam sito editur. Eodem tempore etiam impressum et dispositio rerum ('Graphik' et 'Layout'), quam Stella Gitta computatro magna cum arte perficit, mutati sunt, et libelli imaginibus vel picturis iucundissime exornantur.

Maximas gratias agimus cunctis, qui per omnes hos annos RUMOREM VARIUM aliquo modo adiuverunt et adiuvant et adiuvant! Sine quorum auxilio, opera, amicitia benevolentiaque fieri non potuisset, ut RUMOR VARIUS per tantos annos ederetur.

Maximas gratias etiam nostris fidelibus legentibus! Quid enim esset libellus sine legentibus?

Non minus cunctis symbolas nobis mittentibus maximae gratiae agenda sunt! Quid enim essent libelli sine symbolas scribentibus? Nihil essent! Ergo RUMOR VARIUS per 25 annos iam vivit et floret, etiamsi nostra aetate linguae antiquae, Latina et Graeca, vitam non facilem agunt. Nam quidam homines regentes, qui eruditionem se curare affirmant, scholarum et institutionum mutationibus (vel potius eversionibus), quas insania omnia convertendi incitati reformationes vel 'emendationes' dicunt, curam et cultum linguarum antiquarum valde neglexerunt vel nonnumquam etiam destruere conati sunt.

Tamen speramus nobis contacturum esse - Musis faventibus et adiuvantibus -, ut proximis quoque annis RUMOREM VARIUM edamus! Ad quae efficienda auxilio vestro, cari legentes, nobis opus erit. Ut RUMOREM VARIUM legere, subnotare, symbolas nobis mittere vel pergatis vel incipiatis, a vobis comiter petimus! Maximas gratias!

Nunc autem nobiscum gaudeatis et celebretis!
Ad multos annos! Valete!

D. Weissmann

Daniel Weissmann

Malevolorum ritu simiolorum

In omnibus fere terrarum orbis regionibus televisifica proponitur transmissio, cui 'Magnus frater' est index. Duodecim utriusque sexus iuvenes voluntariam subeunt captivitatem, una eadem domo inclusi: bibentes manducantes, dormientes vigilantes, fornicantes conviciantes, ructantes pedentes curiosis spectatoribus monstrantur.

Certis unusquisque intervallis rogatur, quem ex contubernalibus extrudi ipse malit: ut par est, nullum erit periculum ne ille eiciatur, cuius nomen a paucissimis indicatum sit competitoribus.

Italicarum scholarum discipuli, qua sunt asinali plerique stultitia, nullam interposuerunt moram quin pessimum istiusmodi sequerentur exemplum.


Ter enim quaterve saltem in mense ad contumeliosas descendunt designationes, ut testarum quodam quasi suffragio constituatur, qui de medio sit condiscipulus tollendus.

Hoc profecto stolidam imitationem istam, simiolorum propriam, intolerabiliorem facit, quod, cum nullum re vera alumnum e schola praesidis iniussu amoveri liceat, meraca appetitur contumelia, qua sint timidiores, vel diligentiores, vel inelegantiores notandi.

Nuperrime autem, novitatis semper cupidi, Italici adulescentes professorum quoque exturbandorum nomina designare coeperunt.

Hic vero timendum erit, ne se symbolica tantum exclusionem non agatur....

Orestes Carbonero



“PAX HOMINIBUS”


Bonam mulierem eorum quae sunt intus dominari oportet; nec quaestus vestimentorum differens forma nec auri multitudo tanta est ad mulieris virtutem quanta modestia in quolibet opere et desiderium honestae atque compositae vitae: etenim quilibet talis ornatus et elatio animi est, et multo certius ad senectutem iustas laudes sibi filiisque tribuendo. Quod ad viros attinet, ii ob aliquam aut addendam aut demendam soli partem hoc inter se constituerunt, ut alii alios spoliarent, urerent, necarent, trucidarent; quae ut sollertius tutiusque facerent, praeclaras eas excogitarunt leges quae rei militaris scientia dicuntur; quibus colendis gloriam firmissimamve famam conexuerunt; postea vero rationem illam inter sese occidendi per singula saecula sensim excoluerunt. E priscorum hominum iniquitate, ut ex uno proprioque fonte, bellum ortum est aequae ac necessitatis illa, quae tum iis obvenit, dominos sibi dandi, qui iura eorum postulataque finirent. Quod si vicinorum bonis, suo contenti, abstinere quivissent, pacem ac libertatem in aeternum habebant.

Hoc in ludo illustrium hominum nominibus litteras invenies quas in tabulam, in eodem numero, transcribes. Primae litterae nominum inventorum scriptoris nomen et operis titulum, e quo textus in tabula restitutus excerptus est, tibi tradent.

A. Etiam P. Cornelio et *illo* Coss. apud maiores Romanos magna conservandae religionis cura acta est. Siquidem in agro L. Petilii scribae sub laniculo cultoribus terram altius versantibus, duabus arcibus lapideis reperiis, quarum in altera scriptura indicabat corpus Numae Pompilii, Pomponis filii, fuisse; in altera libri reconditi erant Latini septem de iure pontificum, totidemque Graeci de disciplina sapientiae: Latinos magna diligentia adservandos curaverunt: Graecos, quia aliqua ex parte ad solvendam religionem pertinere existimabantur, Q. Petilius praetor urbanus ex auctoritate senatus per victimarios, igne facto, in conspectu populi cremavit.




- B. Marpesiae filia et soror Antiopae. Foris bellum gerebat, cum Hercules ad litus applicuit. Regina feminarum, quae armis, equis, venationibus exercebant, inustus infantum dexteribus mammis, ne sagittarum iactus impediretur.
- C. Ne is quidem Athenis arrogans visus est, cum postulante populo, ut ex tragoedia quamdam sententiam tolleret, progressus in scaenam dixit se ut eum doceret, non ut ab eo disceret, fabulas componere solere.
- D. Rex centuriis equitum, quas Romulus auspiciato conscripserat, alias adiicere cupiens, cum ab Attio Navio augure prohiberetur, offensus interrogavit, possetne fieri, quod ipse mente conceperat? Posse fieri dicente, iussit novacula cotem discindi. Qua Attius allata, administrato incredibili facto, effectum suae professionis oculis regis subiecit.
- E. Is, cum obsideret Syracusas, inter somnium exaudisse vocem credit nuntiantem, futurum, ut proximo die in ea urbe coenaret. Coenavit Syracusis captivus, non, ut animo praesumpserat, victor.
- F. Is, annum agens sextum et decimum, patrem amisit. Paulo post Corneliam duxit uxorem, cuius pater Syllae inimicus fuit. Mortuo Sylla et composita seditione civili, Rhodum secedere statuit.
- G. Ne in illo quidem qui sinistrae manus digitos, ne bello Italico militaret, absciderat, severitas senatus cessavit; publicatis enim bonis eius, ipsum aeternis vinculis puniendum censuit.



H. Is, Phanarete matre obstetrice, et Sophronisco patre marmorario genitus, ad clarissimum lumen gloriae excessit. Primus ab indoctis erroribus abductum animum, intima conditionis humanae, ac in secessu pectoris repositos affectus scrutari coegit: si virtus per se ipsam aestimetur, vitae magister optimus.

I. Rex Assyriorum, magnitudinem quaesitae dominationis continua possessione firmavit. Domitis igitur proximis, cum accessione virium fortior ad alios transiret, et proxima quaeque victoria instrumentum sequentis esset, totius Orientis populos subegit. Postremum illi bellum cum Zoroastre, rege Bactrianorum, fuit, qui primus dicitur artes magicas invenisse, et mundi principia, siderumque motus diligentissime spectasse. Hoc occiso, ipse decessit relicto impubere adhuc filio Ninya, et uxore Semiramide.



J. Bello Gallico, cum Romani in stationibus quieti tempus tererent, Gallus magnitudine atque armis insignis ante alios progressus est; quatiensque scutum hasta, cum silentium fecisset, unum e Romanis per interpretem provocavit, qui secum ferro decernere, ille erat tribunus militum adolescens, qui prius sciscitatus consulis voluntatem, in medium armatus processit: tunc res visu mirabilis accidisse fertur; nam cum iam manum consereret, repente in galea eius corvus insedit in hostem versus. Ales non solum captam semel sedem tenuit, sed etiam os oculosque Galli rostro et unguibus appetiit. Hostem territum, corvus e conspectu elatus est. Inde ille Corvinus dictus est.



K. Illo duce, Galli ad tentandos Macedoniae legatos ad Ptolemaeum mittunt, offerentes pacem, si emere velit: sed Ptolemaeus Gallos petere, gloriatus est. Renuntiata legatione, riserentur legationibus saucius captus.



L. Euriti, regis Aetholiae, filia. Sunt qui asserant amatam ab Hercule orbis domitore. Cuius nuptias cum illi Euritus spondisset, aiunt poscenti, suasionem filii, postea denegasse. Quam ob rem iratus Hercules acre bellum movit eidem eumque interemit, provincia capta, et dilectissimam illam sibi surripuit.

M. Is primum periculum mortis evasit, qui fugiens a Mutina, ut ad se interficiendum ab Antonio missos equites advenisse cognovit, quodam in loco iustae poenae debitum spiritum tenebris furari conabatur.

N. Is fati acerbitatem sorquaestoria comitia filii se cognosset, ad sed ne fide eius tutus rii juvenis effectum tigia patris militibus conspectu suo objecit.



titus, cum in campum ad descendens, proscriptum clientem suum confugit; esse posset, scelere nefaste; siquidem per ipsa vestigata, occidendum eum in


O. Ignobili loco natus, prima stipendia bello Cimbrico fecit. Se in Hispaniam contulit. Cum aliquando milites pugnam inconsulte flagitarent, nec iam eorum impetus posset cohiberi, is duos in eorum conspectu equos constituit, praevalidum alterum, alterum vero admodum exilem et imbecillum: deinde equi infirmi caudam a robusto iuvene totam adolescentis labor risum omnibus movit; senex autem, quamvis tremula manu, id perfecit quod imperatum sibi fuerat. Tum ad milites conversus: "Equi caudae, inquit, similis est hostium exercitus: qui partes aggreditur, facile potest opprimere; contra nihil proficiet qui universum conabitur prosternere".



P. Cum classe victrici Asiam vastat: multis locis praelia facit et imperio Atheniensium adiicit. Post cladem Athenienses ducem Conone mutant; arbitantes, victos se non fortuna belli, sed fraude imperatoris: is denuo in voluntarium exilium proficiscitur.

Q. Arpini natus, quaestor in Sicilia fuit. Atrox coniuratio detectavit. Ab inimicis solitus est appellari "Scurra consularis". Matrona quaedam iuniorum se, quam erat, simulans dictitabat se triginta tantum annos habere, ei: "verum est, inquit, nam hoc viginti annos audio".

R. Tribunus plebis Caepionem in carcerem con-
nectum, quod illius culpa exercitus noster a
Cimbris et Teutonibus videbatur deletus, veteris
arctaeque amicitiae memor publica custodia
liberavit.








S. Esto vir nomine videatur, sexu tamen femina fuit.
Huius etsi patriam Maguntium quidem fuisse dicant,
quod proprium fuerit nomen vix cognitum est, esto sint
qui dicant, ante pontificatus assumptionem, fuisse
Gilibertum. Et cum is praeter spem propinquior esset ter-
mino, dum ex laniculo, amburbale sacrum celebrans,
Lateranum peteret inter Colosseum et Clementis pontificis aedem,
obstetrice non vocata, enixa publice patuit qua fraude tam diu, prae-
ter amasium, ceteros decepsisset homines.

T. Cum adolescens aedilitatem peteret, manumque cuiusdam civis
Romani rustico opere duratam, more candidatorum, apprehendisset
iocans interrogavit eum, nummanibus solitus esset ambulare. Consul
imperatoris nomen a militibus et triumphum a senatu obla-
tum recusavit. Censor factus, gravem se ac severum prae-
buit. Theatra quidem a Messala et Cassio censoribus incho-
ata sunt; illo auctore omnem apparatus operis eorum
subiectum hastae venire placuit.



	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10
A	B	A	E		I		S			
B										
C										
D										
E										
F										
G										
H										
I										
J										
K										
L										
M										
N										
O										
P										
Q										
R										
S										
T										

	B4	O8	D4	C2	T6	D4	M3	K2	H1	C6	J1	N5	R8	
		E5	R7	E3	F1	I3	C8	T2	Q4	P1	E8	L2		
		P3	G6	R1	G7	H7	C3	J4	N1	R3	H4	K6	E3	
		O4	J5	P7	E3	G5	H6	C1	D3	P9	H3	D1	S2	
	E6	B7	O3	C5	G2	B2	L4	T2	H5	Q3	N4	A3 E	E3	
		K4	J2	G8	P8	N2	S4	T4	O2	K3	F3	S7		
		C5	J4	P2	N3	O2	Q1	I2	E3	H2	D3	G6	E3	
	T1	T4	K2	E3	D4	N6	S7	F	F2	R4	E2	M4	H2	
	S6	C1	P3	C7	B1	L3	O5	M2	E7	C7	A7 S	L1	G3	
	I3	J7	A1 B	T3	J3	D2	E3	C8	S5	O1	L4	D9	O4	
G1	T5	S5	H3	G4	A2 A	D4	M5	G2	F	J5	P9	R6	S1	H8
E1	S4	G7	E6	Q2	K1	A5 I	O6	R3	K4	I1	P7	D7	H6	

Estelle GITTA

Aculeatae meditationes

I

Europaeo, qui nuperrime adhiberi coeptus est, nummo vitio culpaque nostrates adscribunt, quod multo pluris, quam antea, pervariae merces constant.

At venalium rerum pretia Italici magnarii institoresque constituunt.

II

Multi, immo nimii, sunt Itali, quos Foederatis Americae Civitatibus maledicere adversarique minime pudeat, auxilio videlicet oblivioni dato, quod adversus fascales atque hitlerianos sexaginta abhinc annos ipsorum patres avique acceperunt.

Si quem iniuria affeceris, ab isto tibi fortasse ignoscetur; cave autem veniam ab illo indulgentiamque speres, innumeris quem beneficiis cumulaveris.

III

Turmatim hisce diebus (id est, mense anni MMIII Martio) congregatas puellas femellasque pro Islamicis gentibus oppressis tumultuantes ac vociferantes ubique fere apud Italos conspicias exaudiasque.

Mulierculae istae crura detecta atque abdomina semiamicta vel exeuntis gelu hiemis saeviente vulgo ostentare consueverunt.

Nonne pugnantia loqui optareque misellae videntur?


IV

Haud desunt rerum novarum cupidi plebicolae, qui in dispares dissimilesque populorum opes et condiciones, tamquam in omnium malorum fontem atque originem, rabidi animosique exsecruntur.

Bina saltem unusquisque istorum mobilia possidet telephonia, neque autoraeda quidem ducentorum emensurus metrorum iter aequo animo careat.

V

Quando televisificus apud Italos histrio tantum uno anno pecuniae lucratur, quantum quattuor vix decenniis rationarius aut ludimagister, num mirari decet, si cunctae fere puellae ut mimulae existant votis exoptant?



Orestes Carbonero

Preces

Ardentissimo animo in turbidum illud rerum humanarum mare sola prosilui, cuius neque portus neque scopulos noveram. Ac primum populorum qui iam non sunt fines peragrare coepi; namque peregrinatrix in Romae Graeciaeque reliquiis insidebam, magnae atque ingeniosae fama locorum, ubi et regum domus sub pulvere iacent sepultae et vepribus mausolea obruta sunt. Naturae quantum roboris inest, homo quam imbecillus est! Herbula saepe una per marmora sepulchrorum vel durissima erupit, quae numquam omnes illi mortui, vel potentissimi, movebunt.

Excelsa aliquando stabat sola in solitudine columna, quemadmodum ex animo tempore aerumnisque vastato magna quaedam interdum surgere solet imago.

Illis in monumentis per omnes diei casus atque horas multa mecum animo volvi. Nunc enim idem ille sol, qui urbium harum ipsa fundamenta viderat, meos ante oculos super vestigia earum magnificus occidebat; nunc luna, cum in sereno duas inter semifractas urnas oriretur, pallida mihi sepulchra ostendebat. Ac cordationum Genium mihi cernere visus sum, ad latus meum sedentem totumque in cogitatione defixum.

Quo tempore terrarum omnes reges ad populum romanum, cuius a senatu persona gerebatur, venerationis praestandae causa conveniebant, exstinguebatur in dies populus ille. Qui, cum bello perenni, tum exitiosis suis legibus consumptus, ex Italia tollebatur. Nam Romanus, cum in castris aetatem trans maria ageret, ad agellum suum visendum fere quidem non redibat. Nec iam plerique aut agrum aut tectum ullum habebant, nec deos domesticos, praeter legionum aquilas. At Italia, mutatione quadam cum provinciis instituta, filios suos in remotas regiones morituros mittebat, pro quibus servorum greges accipiebat innumeras. Quorum alii terram cum devincti coluissent, pinguem mox ossibus suis faciebant; alii, in Urbe stipati, a domino, cuius se vitiis addixerant, saepius manumissi, cives evadebant. Itaque soli paulatim libertorum filii civitate potiti sunt ac pro populo romano fuerunt, iuraque sub illius nomine omnibus gentibus dederunt. Secundum Michelet iam Gracchorum saeculo Forum



fere totum isti impleverunt. Scipioni quondam Aemiliano cum conviciis obstreperent, impudentiam eorum ille ferre non potuit et: «Tacete vos, dicere ausus est, Italiae adulterini filii!», hoc etiam addens: «Nihil agitis, quos ego Romam alligatos duxi numquam verebor, etsi nunc soluti sunt.» Ex eo quod atrocem illam vocem silentes

exceperunt merito satis constat sic eum locutum esse. Etenim timuerunt ne vir ille qui Poenos Numantinosque vicerat, cum de rostris descenderet, a se captos vel Afros vel Hispanos agnosceret verberumque vestigia sub togis conspiceret.

Sic in locum vel absentis vel deleti populi romani novus populus succedit. Vicem dominorum excipientes servi Forum arroganter occupant et per decreta sua, novum Saturnalium genus agentes, Latinos Italicosque viros regunt, quibus legiones oplentur.



Non iam cum hominibus mihi res est; ad te nunc me converto, qui Deus es omnium animantium, omnium mundorum, omnium aetatum: quod si mortalibus imbecillis, in infinitate locorum ita sparsis ut e qualibet universi parte ne conspici quidem possint, a te, qui cuncta largitus es, cuius decreta ut aeterna, sic immutabilia sunt, aliquid audacius petere licet, placeat tibi clementer errores in natura nostra positos respicere; qui errores ne nobis in calamitates vertantur. Nec enim nobis ideo pectus dedisti, ut alii alios odio persequeremur, nec manus, ut iugularem inter nos: fac igitur ut mutuas nobis tradamus operas ad hoc onus gravis fugacisque vitae sustinendum; ne tenues illae dissimilitudines vestimentorum quibus debilia nostra corpora tegimus, omnium quibus utimur incertorum sermonum, ridiculorum morum, imperfectarum legum, insanarum opinionum condicionum nobis tam inaequalium, tibi vero tam parium, ne tenues omnes illae rerum varietates quibus inter se atomi qui vocantur *homines* vix distinguuntur, inimicitiarum et vexationum signa fiant; ut qui te candelis mero meridie accensis colunt eos perferant, qui solis tui lucem satis esse iudicant; ut ii qui, super stolam album linteum induti, hominibus ut te ament praecipiant non illis invident, qui sub


lana nigra idem dicere solent; ut aequum sit aut inquinato te quodam ex antiqua lingua deducto sermone, aut recentiore nescio qua lingua adorare; ut ii quibus vel rubro vel violaceo colore vestis tincta est, qui, in parva parvi cuiusdam caeni huius terreni acervi particula dominantes, rotundata aliquot alicuius metalli fragmenta possident, quam *magnitudinem opulentiamque* appellant, ea sine superbia fruuntur, eosdem alii sine invidia videant; scis enim tu nihil his in vanitatibus inesse, quod aut invidiam cuiquam aut superbiam merito inicere possit.

Utinam omnes homines sese fratres esse meminerint! atque ita eum detestentur, qui in animos iniqua dominatione utitur, quem admodum eum excrari solent, qui fructum laboris industriaeque vim rapuit! Quod si non fieri potest ut bellorum malis careamus, ne nos media in pace mutuis odiis et lacerationibus vexemus, sed hoc vitae nostrae exiguo tempore sic utamur, ut pari studio plurimis v a r i - isque linguis, a Siami finibus usque ad Californiam, istam grato animo benevolentiam laudemus, quae nobis hoc ipsum tempus largita est.

Rettulit Stella GITTA

Duo carmina Bernensium poetarum Manii Matter et Petri Reber

Inter Manii illius Matter poëtae Bernensis anno 1972° non nisi triginta sex annos nati defuncti carmina mihi maxime placet carmen, quod "Hemmige" inscribitur. Attamen diutissime id in linguam Latinam vertere dubitabam, quia timebam, ne verba Latina nullo modo verba Matteriana adaequarent. Nunc autem hoc inceptum tamen perfeci. Utrum mihi contigerit an non, vos, lectrices lectoresque benevoli, ipsi diiudicate!



Cum plus non audeant ...

Cantandi quidam non sunt cupidi, cantando nam sunt nimis timidi nec more meo umquam cantitant, cum plus non audeant.

Audaces esse quidem cupiunt et infelices sese sentiunt, et saxa quasi corda gravitant, cum plus non audeant.

Hoc esse scio malum aegrius, sed etsi nihil ducis turpius, inviti timidi nos superant, cum plus non audeant.

Qua homo distat re a simia? Non cute, caudae nec absentia, non homines quod peius scansitant - cum plus non audeant.

Imaginare viros lepida spectata puella ac pulcherrima! Nunc crura tantum paulum spectitant, cum plus non audeant.

Si mundum hunc corruptum videris, interitum adesse reberis. Et unum saltem omnes optitant: ne nunc plus audeant !

Hemmige

's git Lüt, die würde alletwäge nie es Lied vorsinge, so win ig itz hie, eis singe – um ke Prys, nei, bhüetis nei!, wil si Hemmige hei.

Si wäre vilicht gärn im Grund gno fräch und dänke, dass sig ihres grosse Päch, und 's laschtet uf 'ne win e schwäre Stei, dass si Hemmige hei.

I weiss, das macht eim heiss, verschlaht eim d' Stimm, doch dünkt's eim albe o, 's sig nüt so schlimm, 's isch glych es Glück, o we mir's gar nid wei, dass mir Hemmige hei.

Was unterscheidet d' Mönsche vom Schimpans? 's isch nid di glatti Hut, dr fählend Schwanz, nid dass mir schlächter d' Böim ufchöme – nei, dass mir Hemmige hei.

Me stell sech d' Manne vor, wenn's anders wär, und 's chämt es hübsches Meiteli derhär! Itz luege mir doch nume chli uf d' Bei, wil mer Hemmige hei.

Und wenn me gseht, was hüt dr Mönschheit droht, de gseht me würklech schwarz, nid nume rot, und was me no cha hoffe, isch allei, dass si Hemmige hei!

Multi alii Manium Matter assequi conati sunt, sed pauci tantum, ne dicam nulli, ingenie eius sunt adepti. Petrus Reber, ut exemplum afferam, ut toto in orbe vel saltem tota in Helvetia magis innotuit multoque plures discos sonantes vendidit venditque. Etiam ei nonnulla carmina perlepida contigerunt, velut fabula illa musica de lemurello floreo, quam in linguam Latinam vertere conatus sum.

De lemurello floreo

Ds chlyne Hippigschpängschtli

Nox summa est, flat ventus per castellum, 's isch Mitternacht, dr Wind wäjit dür e Schlossgang,

campana sonat duodecies. 's isch Geischterstund bim letschte Gloggeschlag.
Amictum album gerens lemurellum Es chlyses Gschöpfli im 'ne wysse Umhang
delabitur per scalas pluries. zybet tifig ds Stägegländer ab.

Curvatum iter est periculosum, Bir erschte Kurve wird's scho langsam kritisch,
e curva lemur velox quatitur! bir zwöite het's es gruusig usegschpickt!
„Di perdant“, clamat, „servum Es süüfzget und schimpft: «Das isch wider typisch:
vitiosum, Dr Bötler, dä Löl, het ds Gländer no geng nid gflickt!»
qui scalas purgans cera utitur!“

Verba repetenda:

Lemuris florei quis curam novit,
qui strabo florum vestem ingerit?

Quem metus eius parvus umquam movit,
cui, quidquid agit, numquam contigit?

Neglectis his clostellum penetrare,
ut dominae conclave adeat,
conatur, sed amictum haesitare
videres, skeleton dum penetrat.

Verba repetenda

Nec malis istis satis perturbatus
clamare ululanter incohat,
terrendam autem eius ululatus
ad risum, non ad metum incitat.

Verba repetenda (bis)

Refrain:

Wär kennt scho d' Nöt vom chlyne
Hippigschpängschtli?
Es schilet und het Blüemli uf em Chleid.
Wär kennt scho sini Sörgeli und
Ängschtli,
däm Gschpängschtli, wo geng alles
abverheit?

Grad z' Trotz wott itz dä Lintuechblüemlistumpe
chopfvara dür d' Tür vor Mademoiselle;
im Schlüsselloch, da hanget no dr Lumpe,
düregrütscht isch nume ds Chnochegstell!

Refrain

Doch das hout ds Gschpängscht no lang nid us de
Socke,
und uf dr Bettstatt brüelet's mordio,
doch die im Bett, wo's hätti welle schocke,
het statt e Schock e Lachchampf übercho.

Refrain (2mal)



Martin Meier

ROMULUS MAGNUS

**Friderici DÜRRENMATT (1921-1990) Helvetii narratoris et comoe-
diographi ingeniosi ROMULUS MAGNUS (“Romulus der
Grosse”) comoedia historica fidei historicae contraria quattuor
actibus scripta, anno 1948 primum acta, annis 1958 et 1964
retractata, anno 2000 a Nicolao GROSS Germano Coreanensi in
Latinum conversa.**

Comoediae pars nona

REA: Si ad eum revertero, iterum me abiget. Iterum iterumque me abi-
get.

ROMULUS: Ergo fac iterum iterumque ad eum revertaris.

REA: Me non iam amat. Nihil iam amat nisi Romam.

ROMULUS: Roma peribit et ille nihil iam habebit nisi amorem tuum.

REA: Timeo.

ROMULUS: Ergo disce timorem superare. Haec est unica ars, quam
hodierno tempore novisse debemus. Sine timore res considerare, sine
timore recta facere. Equidem haec per totam vitam exercui. Tu quoque
nunc haec exerce. I ad illum.

REA: Ita, pater, ibo.

ROMULUS: Bene facies, mea filia. Si ieris, te amabo. I ad Aemilianum.
Mihi

valedicas. Numquam me revidebis, nam moriar.

REA: Pater!

ROMULUS: Germani me necabunt. Semper opinabar me sic moriturum
esse. Hoc est secretum meum. Offeram Romam, cum me ipsum offeram.
Silentium.

REA: Mi pater!

ROMULUS: At tu vives. I nunc, mea filia, i ad Aemilianum.

Rea lente exit. E recessu venit Pyramus.

PYRAMUS: Maiestas.

ROMULUS: Quid vis?

PYRAMUS: Imperatrix profecta est.

ROMULUS: Bene est.
PYRAMUS: Maiestas tua nonne cubitum ire vult?
ROMULUS: Nondum. Oportet adhuc colloquar cum aliquo. Affer alterum poculum.
PYRAMUS: Certe, Maiestas.
Affert alterum poculum.
ROMULUS: Pone id a dextris iuxta meum. Imple.
Pyramus poculum complet.
ROMULUS: Nunc imple etiam meum.
Pyramus hoc facit.
PYRAMUS: At nunc vacuefacta est lagoena vini septuagenarii.
ROMULUS: Ergo i cubitum.
Pyramus dorsum inclinat et foras exit. Romulus sedet immotus, usque dum non iam audiat gradus.
ROMULUS: Nunc veni ad me, Aemiliane. Soli sumus.
Aemilianus lente et tacite e recessu venit sagulo nigro obvelatus.
ROMULUS: Paucis momentis temporis ante per fenestram in cubiculum meum descendisti. Poculo, e quo bibo, imago tui reddita est. Nonne vis considerare?
AEMILIANUS: Sto.
ROMULUS: Sero ad me venisti. Iam est media nox.
AEMILIANUS: Sunt visitationes, quae non fiunt nisi media nocte.
ROMULUS: Vides te a me receptum esse. Ad te salutandum poculum impletum est excellenti Falerno. Propinemus.
AEMILIANUS: Fiat.
ROMULUS: Bibamus in reditum tuum.
AEMILIANUS: In id, quod media hac nocte expleatur.
ROMULUS: Quid nunc?
AEMILIANUS: Propinemus in iustitiam, Romule Imperator.
ROMULUS: Iustitia est res timenda, Aemiliane.
AEMILIANUS: Timenda quoque sunt vulnera mea.
ROMULUS: Ergo: In iustitiam.
Manu exstinguit lucernam, cubiculum non illuminatur nisi luna.
AEMILIANUS: Soli sumus. Nemo testis est nisi haec nox media nunc Imperatorem Romanum et virum, qui rediit ex captivitate Germanica,

propinant in iustitiam duabus pateris Falerni sanguinei.
Romulus surgit et unus alteri propinat. Eodem momento temporis aliquis exclamat et sub pulvinari Imperatoris erigitur caput Tullii Rotundi administri rerum domesticarum.
ROMULUS: Per deos, administer rerum domesticarum, acciditne tibi aliquid mali?
TULLIUS ROTUNDUS: Maiestas tua digitos meos conculcavit.
Gemit et erepit sagulo nigro obvelatus.
ROMULUS: Hoc doleo. At scire omnino non potui te mihi subesse. Ah scilicet omnem administrum rerum domesticarum exclamare, si propinetur in iustitiam. Sed sanguis effluit e manu tua.
TULLIUS ROTUNDUS: Pugione leviter vulneratus sum.
ROMULUS: Pugiones, mi care, oportet adhibeas quam cautissime.
It sinistrorsum.
AEMILIANUS: Vin' advocare cubicularios, Romule Imperator?
Unus alteri oppositus est. Aemilianus est animo hostili et promptissimo, Romulus subridet.
ROMULUS: Non est, cur illos advocem, Aemiliane. Scilicet illos media nocte dormire. Sed alligemus manum vulnerati administri mei rerum domesticarum.
It ad armarium in proscenio positum idemque aperit. In eodem stat Zeno Isaurus dorso paululum inclinato.
ROMULUS: Ignosce mihi, Imperator Romae orientalis. Nescivi te dormire in armario meo parietali.
ZENO: O benigne dicis. Ad talia assuefactus sum, ex quo Constantinopoli profectus vitam dego inquietam.
ROMULUS: Sincere me miseret tantorum laborum tuorum.
Zeno ex armario escendit, item sagulo nigro obvelatus, circumspectat stupefactus.
ZENO: Quid hoc? Aliusne quoque adest?
ROMULUS: Ne aegre feras. Illi forte fortuna intraverunt.
Ex tabulario superiore pannum sumit.
ROMULUS: Inest etiam alter homo.
ZENO: Sulphurides camerarius meus.
Sulphurides escendit, longurio, item sagulo nigro obvelatus, coram

Romulo dorsum sollemniter inclinat. Romulus eum aspectat.
 ROMULUS: Bonum vesperum. Quidni eum collocasti in altero armario, frater imperialis? Ubinam collocasti Phosphoridem camerarium tuum?
 ZENO: Qui adhuc est sub lecto tuo, Romule Imperator.
 ROMULUS: Ne pudeat eum. Licet erepat.
Phosphorides homullus erepit e loco sub lecto sito, item sagulo nigro obvelatus. Romulus ei annuit.
 ROMULUS: Salvos sies!
Iterum considit et Tullio Rotundo pannum dat.
 ROMULUS: Alliga vulnus tuum, administer rerum domesticarum. Sanguis mihi displicet.
Dextrum armarium parietale quasi sua sponte aperitur et Spurius Titus Mamma magno cum strepitu in pavementum decidit supinus.
 ROMULUS: Heus athleta quoque nondum dormit?
 SPURIUS TITUS MAMMA: Sum fatigatus. Sum prorsus fatigatissimus.
Surgit titubans.
 ROMULUS: Pugionem perdidisti, Spuri Tite Mamma.
Spurius Titus Mamma perturbatus pugionem tollit et quam rapidissime abdit sub sagulum nigrum.
 SPURIUS TITUS MAMMA: Non dormivi ex centum decem horis.
 ROMULUS: Si fortasse alius alio loco huius cubiculi est, rogo, ut eveniat.
Sub pulvinari sinistro erepit Mavors, quem sequitur aliqui miles, ambo sagulis nigris obvelati.
 MAVORS: Ignosce, mi Imperator. Rogo colloquium officiale.
 ROMULUS: Quemnam tecum attulisti ad colloquium officiale habendum, mariscalce imperialis?
 MAVORS: Adiutorem meum.
Tum etiam sub pulvinari Imperatoris lente erepit coquus alto pileo suo albo indutus, item sagulo nigro obvelatus. Nunc primum Imperator evidenter terrore commotus est.
 ROMULUS: Tu quoque, mi coque?
Coquus oculis demissis se adiungit ordini eorum, qui nunc Imperatorem circumcludunt semicirculo.

Comoediae pars decima in proximo libello sequetur!

Subnoto RV, ut ipse accipiam
 (Ich abonniere RV für mich selber)

Subnoto RV DONO DATUM ei, cuius
 inscriptio cursualis supra indicata est
 (Ich abonniere RV als Geschenkabonne-
 ment für jemanden, dessen Adresse oben
 angegeben ist): -----

Factura subnotationis mittenda est ad inscrip-
 tionem cursualem infra indicatam (Die Abonne-
 mentsrechnung ist zu senden an):

Ort, Datum: _____

Unterschrift: _____

Hier bitte
 frankieren

RVMOR VARIVS
 C/o EDITIONS DU LAC
 Estelle GITTA
 Ch. F.-Lehmann 2
 1218 Grand-Saconnex

PP/Journal

4702 Oensingen

1/2003

IDIBVS IVLIIS

MMIII

